

REFORMATIO ANGLIAE,  
EX DECRETIS REGINALDI  
POLI CARDINALIS,  
SEDIS APOSTOLICAE LEGATI,  
ANNO M. D. LVI.



ROMAE, M. D. LXII.

Apud Paulum Manutium Aldi F.

2

REFORMATIO ANGLIÆ,  
EX DECRETIS REGINALDI  
POLI CARDINALIS,  
SEDIS APOSTOLICÆ LEGATI,  
ANNO M. D. LVI.

REGINALDVS, miseratione diuina, sanctæ  
Mariæ in Cosmedin sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
Diaconus Cardinalis, Polus nuncupatus, ad Se-  
renissimos Philippum, & Mariam, Angliæ Re-  
ges, fidei defensores, & ad uniuersum Angliæ  
regnum, sanctissimi Domini nostri Papæ, et  
Sedis Apostolicæ de latere Legatus, ad perpe-  
tuam rei memoriam.

Cum felicitis recordationis Iulius Papa III. post alla-  
tum ei nuntium, Serenissimam Mariam, Henrici VIII.  
Regis filiam, tum Angliæ Principem, quæ semper in  
recta fide, religioneq; firmam sese, atque constantem  
præstitisset, summo consensu, atque una omnium uoce  
Reginam declaratam fuisse, in magnam spem adductus  
esset, fore, ut hoc regnum ad sanctæ catholicæ Eccle-  
siæ unionem, a qua complures annos separatum fue-  
rat, reuocaretur; ut id quamprimum fieret, nos, pro  
pastorali suo officio, & paterna caritate, suum, & Apo-  
stolicæ Sedis Legatum de latere, ad ipsam Mariam Re-  
ginam, & uniuersum hoc regnum misit. quod onus,

A ii licet